

## (Liber septimus)

S: LIB. IIII. Pars III. De Animantibus terræ

PV: Incipit liber de animalibus

### (Prefatio)

S: Animalium terræ, ad hominem comparatio. Cap. I.

**V**olantia que in aere versantur designant virtutem hanc quam homo cogitando dictat, et qua in semetipso premeditando multa deputat, antequam in fulgens opus procedant. **2** Animalia autem que in terra discurrunt et in terra habitant, cogitationes et premeditationes quas homo opere perficit designant. Et sicut opera cogitationes subsequuntur, sic etiam cum bona voluntas et recta desideria ac iusta suspiria procedunt, ea fabricator mundi in celestibus perficit, **3** nec ibi perficiuntur, antequam hic in mundo in cogitationibus spiritali desiderio precesserint. **4** Sed leo et sibi similes voluntatem hominis que iam opus proferre vult ostendunt. Sed panthera et sibi similes ardens desiderium quod iam in incipiente opere est designant. Ceteræ autem silvestres bestie designant plenitudinem effluentie quam homo in possibilitate sua habet, utilia et inutilia opera perficere demonstrant. Sed mansueta animalia **5** que super terram gradiuntur ostendunt **6** mansuetudinem hominis quam per rectas vias habet, et ideo rationalitas hominis invenit quod ad unumquemque hominem dicit: »tu es animal illud vel illud», quoniam animalia quedam nature hominis similia in se habent. Sed animalia que alia devorant, et que pravis cibis nutriuntur, et generando fetus multiplicant, ut lupus et canis et porcus, ut inutilis herbe ad comedendum, nature hominis contraria sunt, quia homo sic non facit. Pecora autem que mundis escis ut feno et simili pastu nutriuntur, et fetus generando non multiplicant, homini ad comedendum bona sunt ut bone et utiles herbe, et in hiis et in illis quedam medicamenta inveniuntur.